

Hanc ueteris ecclesiae consuetudinem superstitionum rituum cultu et obseruationibus in regno pontificio sublatam atque deletam, ut reuerendus pater ac praceptor noster et sinceroris religionis instaurator doctor Martinus Lutherus<sup>a</sup> reuocaret in ecclesiam praecipua doctrinae christianaee capita, methodo catechetica interrogationibus et responsionibus distincta explicauit, quae 5 primae aetati a teneris priuatim et publice in ecclesijs et scholis harum regionum magna cura inculcantur eadem obseruata lege institutionis, ut cogan-[A 5v:]tur auditores quasi sono reflexo imitari et reddere interpretationum uerba.<sup>12</sup> Qui uero aliquo usque progressi et adultiores sunt, quorum iudicium aetate auctum paulatim maturescit, ijs uberioreis et aliquanto altius ex fonte 10 doctrinae sacrae depromptae ac pluribus roboratae testimonij explicationes proponuntur methodo tamen non diuersa. Atque id quidem in templis hactenus, quam in scholis obseruatum est accuratius, quod paedagogorum alij alias usurpauerint uberioris catecheticae doctrinae formas, nec ordine, nec interrogationum aut responsionum forma, nec loquendi modis congruentes. 15 Quin etiam nonnulli ex dissidijs, quibus flagrant atque [A 6r:] concutiuntur ecclesiae et ex confusione tetra dogmatum recte explicatorum, ausi sunt aspergere multa minime conuenientia teneris ingenijs, sicut experimur, cum profectus dissentium exploramus, inter quos non pauci offeruntur catecheticae doctrinae aut rudes prorsus aut de interrogatis aliena uel ambigua respondentes. His incommodis, ut aliquomodo inueniretur remedium, profuturum esse magnopere existimauimus, si una ederetur certa et simplex forma catecheseos, quae post initia catechismi domini doctoris Lutheri in scholis puerilibus iuuentuti proponi posset. Nam capita in examine aut locis theologicis<sup>13</sup> comprehensa ac disputata, quae in ecclesiae [A 6v:] doctrina ac certaminibus exercitatum lectorem requirunt, nondum omnia commode et e uestigio pueris eruditis in catechesi Lutheri tradi possunt.

<sup>a</sup> In F, G durch Versalien hervorgehoben.

<sup>12</sup> Vgl. Martin Luther, Der kleine Katechismus (1529), in: BSLK 499–541.

<sup>13</sup> Vgl. Philipp Melanchthon, Examen ordinandorum (1559), in: CR 23,1–102; Philipp Melanchthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 601–1106 (MWA 2/1–2).